



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Instrvctio R. P. Bartholomæi Riccii Societatis Iesv
Theologi De Modo Recte Meditandi De Rebus Divinis**

Ricci, Bartolomeo

Mogvntiæ, 1605

2 De modo excitandi actus voluntatis versantes circa bonum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59608)

Intellectu ad considerandum, oculos ad videndum; pedes ad ambulandum, manus ad percutiendum. Sextus est *F R V I T I O*, qui est idem cum Gaudio supra nominato.

De modo excitandi actus Voluntatis, qui versantur circa bonum.

C A P. II.

DIXIMVS primum actum voluntatis circa bonum esse *Amorem*, quo consentit bono, illudque approbat, illi applaudit tanquam rei sibi conuenienti, nec longius progreditur. Hinc fit, verè dici, etiam improbos amare virtutem, quia iudicant rem bonam, eamque probant, sed non sunt solliciti de ea consequenda: non ab similes homini saturo, qui licet amet & probeat lautos cibos, tamen eos sumere detrectat.

Hic amor in virtutem, & res pias (nam in Meditatione hæc quærenda sunt) nascitur ex sedula, attenta & frequenti earum consideratione. sicut natus est in corde prophetæ Davidis amor ardentissimus erga legem diuinam. *Quomodo, inquit, dilexi legem tuam Domine? sibi; respondet. Tot a die meditatio mea est.* Non igitur sufficit leuis aliqua cogitatio, & semel intra centum annos,

nos idq; perfunctoriè, vt vulgo dicitur, facta, ad hunc amorem excitandum, sed opus est consideratione assidua & profunda secundum S. Thomam Aquinatem.

II. DESIDERIVM secundus est voluntatis Actus, quo promouetur ad procurandum rem amatam Differt autem ab amore, quia amor tantum est quædam complacentia in bonum: desiderium verò adiungit alium actum positivum vt bonum consequatur. Quanquam verum est, quoties amor vehemens est, mox sequi desiderium velut eius primogenitum. Daud' ingenti ardebat amore æternæ gloriæ cum diceret. *Concupiscit, & deficit anima mea in atriâ Domini.* Inardesce ergo & tu amore in virtutem, nec dubita mox te flagraturum igne desiderii. Vbi adverte, si contingat te nullo accendi virtutis desiderio, vt minimum procures habere desiderium desiderandi illam, sicut habuit idem Daud' in psalmo 118. *CONCUPISCVIT anima mea DESIDERARE iustificaciones tuas.*

Psal. 83.

III. Actus voluntatis est GAVDIVM, quo gaudet, fruitur, & acquiescit in re amata iam obtenta. vbi nota, etiamsi voluntas in hoc actu conquiescat in bono adepto, non tamen ideo desinere esse actum, gaudium

N s enim

enim illud quietis nomen obtinet, quia motus desiderii cessavit, post quem motum sequitur delectatio in re iam possessa. Res liquet exemplo leporarii canis supra alato. Dum enim conspecto primum lepore se commouet & parat ad cursum, quia apprehendit tanquam bonum sibi conueniens, declarat Amorem: cum verò currit, ostendit Desiderium, quod diximus consistere in quodam motu. ac denique dum mordicus apprehendit, Gaudium, in quo cessat desiderium, & incipit actus delectationis.

IV. Actus est spes, quia ad consequendum bonum amatum sæpe satis non est illud amasse & desiderasse, sed etiam opus est alio fideli & ardenti affectu ad bonum obtinendum, maximè quando in eo obtinendo aliqua occurrit difficultas, licet non impossibilitas. & hic affectus est spes, quo fretus S. Paulus dixit *Omnia possū in eo, qui me confortat.*

V. est DESPERATIO, quæ subito excitatur, simulatque dictum bonum obtentu apparet impossibile, sicut contigit IVDÆ, qui à Satana deceptus, dum perpendit peccatum suum esse grauissimum, & ideo nullum locum veniæ relictum, incidit in desperationem. Licet autem & hæc desperatio grande fuerit peccatum, tamen non semper peccatum est.

tum est, vt cum fures desperant se erepturos thesaurum, cum animaduertunt portas ita obfirmatas, vt impossibilis sit aditus. Et cū quondam Tyranni desperarunt se martyres adducturos ad sacrificandū idolis, eo quod viderent eos in atrocissimis tormētis perferendis non solum esse infractos, sed etiam lætissimos: quemadmodum accidit S. Laurentio illudenti tortoribus, & s. Tiburtio, qui cum nudis plantis premeret ardentēs prunas aiebat se calcare flores & rosas. Et S. Agatha cum duceretur ad supplicia, fatebatur se tam æquo animo ire, ac si iret ad nuptias.

De modo excitandi Actus voluntatis qui versantur circa malum.

C A P. III.

ET si Voluntas, vt dictum est naturaliter refugiat malum bono naturali repugnans, non tamen ita refugit malum morale, vt experientia doctus Apostolus affirmat his verbis. *Non quod volo bonum, hoc ago, sed quod nolo malum.* Malum hoc loco vocatur, quod apprehēditur tanquam malum, licet reuera non sit tale.

Rom. 7.

I. **A**CTVS est OPIVM, quod non est aliud quam